

Amplissimorum Curatorum Promulgatio in Tab.
Bibliothecæ nostræ Lubec. descripta, hīc omnino in-
serenda : cum non omnes literarum amore flagrantes For-
tuna rivus ita inaurarit, ut omnes istos libros, quibus ad soli-
dam eruditionem, & plurimarum rerum cognitionem perve-
niri inter doctos constat, sibi comparare possint : Amplissimus
Reip. hujus Magistratus ante complures annos de Bibliothe-
ca adornanda ; eadem quotannis augenda & necessariis in omni
disciplinarum genere libris instruenda consilium inire, & quan-
tum in eo, præclarorum Ingeniorum conatus, & studia prove-
here & promovere voluit. Sed cum illi, quibus hac cura pu-
blice delegata est, ad hoc usq[ue] tempus in selectissimis libris coë-
mendis occupati fuerint : fieri non potuit, ut cuivis ad libros
hos evolvendos aditus concederetur. Postquam vero maxi-
mam ea partem ita instructa est, ut nullius non Commodis
usui esse possit, Amplissimus hujus Reip. Magistratus pretio-
sissimum hunc Thesaurum non diutius occultandum, sed cum
Bonis & literarum amantibus communicandum esse duxit.
&c. Egregium quidem & laude singulari dignum
juvandi & ornandi studium ! omnibus literas amanti-
bus Museum Public. adornare , adornatum
quotannis [NB.] augere ; auctum aperire, & Thesaurum
non abscondere ; sed cum Bonis omnibus communi-
care, Regiū hoc dices Beneficium, Deiq[ue] proprium,
qui quanto cuncta anteit bonitate , tanto se commu-
nicat impensius. Quæ cum ita sint, Amplissimi Patriæ
Patres, nec non & Curatores Nobilissimi , laude digni
estis immortali , & Prytaneo summisque Honoribus
cum-